



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,  
Sev Svplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis  
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac  
publicis Ecclesiae de causis in ...**

**Coloniae Agrippinae, 1640**

De Exequijs Paruulorum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9480**

# DE EXEQVIIS

## Paruulorum.

**P**aruuli qui post Baptismum ante usum  
rationis eripiuntur, oratione Ecclesiae  
non indigent, quia nihil damnationis est in  
his, qui sunt in Christo Iesu, & non secun-  
dum carnem ambularunt: & sicut iniu-  
riam faceret martyri, qui pro martyre ora-  
ret; ita innocentiae Baptismali iniurius  
esset, si quis eis salutis requiem precaretur,  
qui innocentes, immaculati, puri, ac Deo di-  
lecti, effecti, sunt coheredes Christi, ita ut  
nihil prorsus eos ab ingressu celi remore-  
tur.

Hinc iuxta vetustam & laudabilem Ec-  
clesiarum consuetudinem, corpuscula eorum  
non deberent sepeliri in communibus &  
promiscuis cemiteriorum & Ecclesiarum  
sepulturis; sed ut pro illis in Parochialibus  
Ecclesiis, aut illarum cemiterijs: quatenus  
commodè fieri pateret, speciales & separati  
ab alijs loculi & sepulturæ haberentur, in  
quibus non sepelirentur, nisi qui baptizati

G 5 essent

*essent infantes, vel pueri ante annos discre-  
tionis obeuntes.*

*Quia tamen horum corpusculis, tan-  
quam organis & vasis, sanctus infusus fuit  
Spiritus; etiam illorum funera officiosa  
sunt pietate curanda, in protestationem  
fidei, resurrectionis, & ad laudem diuinę  
prudentiae sub qua & ista regeneratorum  
corpora requiescere creduntur.*

*Si pro laudabili cuiuscumque Eccle-  
siæ more horum sepultura, vna cum  
Missa, exequijs, aut Psalmis profidel-  
ibus defunctis legi consuetis, quod ab-  
rogari debet, procuretur: tunc parochus  
in memoriam reuocet fidelibus, id  
quod dicit Augustinus: *Sacrificia sive  
altaris, sive quarumcumque eleemosyna-  
rum, quæ probaptizatis defunctis omnibus  
offeruntur: pro valde bonis, gratiarum  
actiones sunt.* Et occasione huius paruuli,  
qui in albis ad dominum raptus est, ore-  
tur pro defunctis, qui precibus Ecclesiæ  
indigent: idque piorum more; qui  
dum vni benefecit diuina Clementia il-  
lius occasione pro alio orare solent,  
ut ei similiter fiat.*

OR-